

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-246256-p0001-7



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-246256-p0001-7

DFG









Chronica. De claris viris. in foliis. fol. 62. usque per partem

Q. D. B. U.  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O JURIDICA  
<sup>De</sup>  
**F E L O N I A**  
**D O M I N I ,**

QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**D N . PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENB. & DUCATUS MAGDEB. GUBERNAT.

&c. &c.

PRÆSIDE

**D n . CHRISTIANO THOMASIO,**  
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS BORUSSIÆ CONSILIARIO  
INTIMO, UNIVERSITATIS FRIDERICIANÆ DIRECTORE,  
AC PROFESSORE PRIMARIO, ET FACULTATIS JURIDICÆ  
ORDINARIO,

IN ALMA FRIDERICIANA

IN AUDITORIO MAIORE d. 22. Octobr. MDCCX.

placide Eruditorum disquisitioni exhibit

AUTOR

**ANTONIUS ULRICUS VÖLCKER,**  
EQVES BRUNSVICENSES.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITTERIS SALFELDIANIS.



939.

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
ANTONIO UL-  
RICO,  
DUCI BRUNSVICENSI ET  
LUNEBURGENSI,  
&c. &c. &c.  
DOMINO MEO LONGE  
CLEMENTISSIMO  
FELICITATEM.

a 2

SERE.

# SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSME,



I, quemadmodum præclare à Platone scri-  
ptum esse optimus inter Romanos officio-  
rum ratiocinator existimat, non solum no-  
bis, sed & Patriæ ad ejus commoda promo-  
venda nati sumus, jure meritoque PATRI  
PATRIÆ de vita nostra, ac omni illa opera atque studiis,  
quibus accrescente ætate nos dedimus, ratio diligenter  
reddenda. Rationem enim vitæ à nobis reponit PA-  
TRIÆ PATER, quo innotescat, an, quod nostri est of-  
ficii, communes utilitates in medium afferre possimus,  
ipsique pateat, ad quæ officiorum genera, quilibet ex  
alumnis suis, maxime sit idoneus. Hinc mearum quo-  
que partium esse duxi, præsentem dissertationem, ut spe-  
cimen studiorum, quæ scire per quadriennium in hac alma  
Fridericiana excolere studui, aliquod extet, in publicum  
producere. Hasque primitias laborum meorum TE,  
Clementissime PATER PATRIÆ, venerabundus acce-  
dens ante pedes TUOS quam humillime depono. Fi-  
duciam hanc, quam mihi non ex dignitate pertractati  
argu-

argumenti minuunt tenues opes, nullæ facultates, adauget tamen ad invidiam usque conspicuus TUÆ SERENITATIS in studia liberalia amor, propensioque mirifica, Patere igitur, DUX longe Clementissime, ut TIBI, hoc quicquid est speciminis, demississima offerratur mente. In oculis enim omnium TIBI gratiæ agendæ PATRIÆ PATER indulgentissime, ob maxima in me meosque collata beneficia. SERENITAS TUA non duntaxat Parentes, sed & me, quem, cum sacro baptismatis fonte abluerer, maxime Venerabili TUO nomine, albo fidelium inscribendum curasti, multis singularis Clementiæ documentis ita vincitum & constrictum tenet, ut gratissimus animus hocce specimine Academico, cum alia ratione illud efficere haud possim, omnino pulice declarandus fuerit. Respicies igitur, quæ TUA est indulgentia in cives, proprio vultu primicias meas SERENITATI TUÆ consecras. Quicquid enim obsequii lege magnis Principibus offertur, tam gratum ipsis esse solet, quam aqua utraq; vola è flumine hausta, Regi Persarum olim oblata, Ego cum satis dignis laudibus, **ANTONII ULRICI** maximas virtutes ac clementiam prædicare nequeam, Deum Ter Optimum Maximum tantum demississima mente non desinendis precibus supplex oro, ut feliciter imperante **ANTONIO ULRICO** PATRE PATRIÆ optimo ac benigno, patria porro quam diutissime omni felicitatis genere gaudeat! Servet Divinum

Numen Principem per universam Germaniam, imo totam  
Europam venerabilem, ingratissimumque ætatis mala  
quam longissime abesse jubeat! Augeatur perpetuo novis  
incrementis, ac novo splendore AUGUSTA DOMUS,  
supraque vota omnium vigeat, floreat! Quod si præterea  
PRINCEPS SERENISSIME, innumeris clementiae do-  
cumentis, quibus Parentem meum hucusque beasti, jam  
illud addere non digneris, ut & fructus in me exopta-  
tissimi inde redundant, votorum meorum summam con-  
secutus sum, & quod devotissimum civem decet, pro  
incolumitate ANTONII ULRICI, quotidie vota nun-  
cupabo, sancteque perolvam. TU igitur Sapientissime  
PRINCEPS, qui maximam subjectarum regionum es  
præsidium, & meam salutem TUA gratia, præsilioque  
teges, ita hac spe te sustentat

SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE LONGE CLEMENTISSIME,  
SERENITATIS TUÆ

*subjectissimus*

Antonius Ulricus Völcker.



B. C. D.  
DISSERTATIO JURIDICA  
De  
**FELONIA DOMINI.**  
SUMMARIA.

**D**octrina de felonia domini nondum rite fuit exposita, §. I. quid in hac doctrina praesiterit Knipscheldus? ejus sententia de felonia domini. §. II. Nostra sententia opposita. §. III. Natura obligacionis inter dominum & vasallum. §. IV. Capita fidelitatis a Vasallo praestandae. §. V. An eadem sint capita fidelitatis intuitu Domini? §. VI. Negatur: etiam ex sententia dissentientium dominus non in omnibus paria prestat Vasallo. §. VII. Alii casus, circa quos tamen variant: nimurum de alienatione a domino in scio vasallo facta. §. IX. De Prelato, qui contra vasallos peccasse dicitur. §. IX. Quid si dominus directus simul supremo imperio gaudeat? §. X. Dominus nullo plane casu dominio directo privari potest. §. XI. Definitione felonie tradita fusus demonstratur Dominum, feloniam non committere. §. XII. Adducuntur tex-  
tus

A

tus ex jure Longobardico obstantes. §. XIII. Osten-  
ditur eos textus paulisper dubios esse. §. XIV.  
Jus Longobardicum in hac materia nullius apud  
nos autoritatis. §. XV. Jus Germanicum felo-  
nia pœnam ignorat intuitu Domini. §. XVI.  
Textus obstantes ex jure Saxonico, feudaliter &  
provincialiter, §. XVII. ad quos respondeatur §. XXIX.  
De brocardicis & allusionibus vulgo affirri soli-  
tis. §. XIX. Sententia nostra & in fendo datis  
& in oblatis procedit. §. XX. Sententia Doclo-  
rum de feloniam domini; (1) eam afferentum, §. XXI.  
(2) dubitantum, §. XXII. (3) nobiscum negan-  
tium. §. XXIII. Falsum, quod defectus exem-  
plorum potentie dominorum sit adscribendus  
§. XXIV. Sed quid si dominus apertus hostis  
vasallum fiat? §. XXV. Si dominus superiorem  
habeat, & ipse dominium sit auferendum, illud  
non pertinere ad vasallum, sed ad superiorem.  
§. XXVI. Exempla, ubi domini directi jure suo  
privati, illudque ad vasallum translatum fuit.  
§. XXVII. Quæ examinantur. Exemplum de Co-  
mitatu Flandrie & Artesie. §. XXIX. Alterum  
exemplum de rege Romanorum Ferdinando & Ul-  
rico Wurtenbergico Duce. §. XXIX. Tertium exem-  
plum de Carolo V. intuitu regni Neapolitani. §.  
XXX. Quartum exemplum de Comitatu Meur-  
sie. §. XXXI. De testimonio Dan. Mölleri. §.  
XXXII. De alienatione vasallorum abhuc non-  
nulla subjiciuntur. §. XXXIII. Textus ex jure  
Longobardico. §. XXXIV. Relinquitur hac ma-  
teria peculiari disquisitioni. §. XXXV.

§. I. Dan-

## §. I.



Antur adhuc hodie in plerisque, si *Doctrina de felonie domini non dum rite fuit exposta.*  
 non in omnibus disciplinis, præser-  
 tim vero in jurisprudentia nostra  
 post tot Commentarios, Resolutio-  
 nes, Disputationes & Compendia  
 variae materiæ, quæ licet in se utilissimæ sunt, a  
 Doctoribus tamen vel plane non, vel obiter saltem  
 fuere expositæ. Ad classem istiusmodi doctrinæ  
 rum jam suo tempore doctrinam de *felonia domini*  
 retulit Philippus Knipschild, graviter conquerens,  
 quod quidem a diversis Doctoribus juris feudalis  
 quæstiones illæ: ad quid vasallus domino suo præ-  
 standum obligetur? & quomodo iste vasallus feu-  
 dum acquisitum iterum amittat? plena manu  
 exponi soleant; de altera vero quæstione: ad quid  
 dominus vasallo teneatur, & quibus modis ille do-  
 minio suo directo, ut vocant, excidere poslit? al-  
 tum fere apud ipsos sit silentium. Edidit ergo jam  
 A. 1656. libellum, cuius titulus est: Informatio de  
 obligatione Domini erga vasallum, das ist / ein  
 kurzer Bericht / was ein Lehnsherr seinem Lehn-  
 mann zu thun schuldig: so dann / ob und aus was  
 Ursachen das Eigenthum verloren werde: und  
 welche das verwürckte Eigenthum und apert ge-  
 machte Lehn und dessen Verbesserungen zuständig  
 seyn? Libellus lingua germanica conscriptus sex  
 quæstionibus absolvitur, ubi autor in quæst. I.II. & III.  
 mentem suam de obligatione & felonie domini aperit.

A 2

§. II. Post

## §. II.

*Quid in hac  
doctrina  
prefliterit  
Knipschil-  
dus? Ejus  
sententia de  
felonia do-  
mini.*

Post hunc vero Knipschildi laborem multa adhuc supereesse videntur, quæ in hac doctrina de obligatione domini erga vasallum, ejusque feloniam moneri atque suppleri debent. Scilicet laboravit dictus autor defecu illo, quo istis temporibus plurimi eruditorum, paucissimis certe exceptis, labrabant. Scientia juris feudalis Longobardici fuit instructus, ad cuius textus subinde provocat. Bozatum, Rosenthalum, Schraderum, Borcholtum, Vultejum, imo etiam Baldum, Welenbecum, aliosque juris Romani & Longobardici Doctores in non contemnenda copia citat, eorumque autoritati assertiones suas superstruit; sed de jure feudali Germanico nihil omnino ibi reperitur, unde non potuit non autor in ea opinione fuisse, ac si jus Longobardicum in decisione controversiarum feudalium tanquam jus ordinarium considerari, & exinde fundamenta decisionum unice desumi debent. Non ergo mirum est, Knipschildum statuisse, quod inter dominum atque vasallum æqualis obligatio intercedat, ut propterea alter alteri ad eandem fidelitatem sit adstrictus: & quod denique dominus non minus teloniam adversus vasallum committat, quam hic erga dominum, unde quemadmodum vasallus dominio utili excidit, si infidelis existit, ita dominus quoque amissione dominii directi propter infidelitatem erga vasallum puniri debeat.

## §. III.

*Nostra sen-  
tentia oppo-  
site.* Nobis vero alia plane sententia est. Existimamus enim, feloniam Domini, quam vulgo Doctores

res in medium proferunt, non existere in rerum natura, sed eam potius ad classem entium rationis esse referendam. Negamus, æqualem obligationem inter Dominum & Vasallum intercedere. Negamus, Dominum intuitu vasalli Feloniam committere posse; Negamus denique, Dominum etiamsi Vasallum laedat, amissione Dominii directi (ita nimur ut hoc cum Dominio Vasalli uniatur; nam ita dissidentes sunt intelligendi,) puniri debere. Atque ut sententia nostra eo distinctius percipiatur, age, inspiciamus paulo attentius naturam obligationis inter Dominum & Vasallum intercedentis, deinde potissima capita fidelitatis a Vasallo præstandæ percurramus, & mox ad oculum apparebit, a fidelitate, huic que opposita Felonia Vasalli ad fidelitatem & Feloniæ Domini nullam plane valere consequentiam.

## §. IV.

Natura obligationis inter Dominum & Vasal- *Natura obligatiōnis inter dominum & vasallum.*  
lum intercedentis non melius cognosci potest, quam definitione feudi, quatenus illud pro contractu ter dominum accipitur. Ita vero Obertus de Orto Anselmo filio scribit, *Beneficium, sive feudum, esse benevolam actionem, ubi quid ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiate penes dantem remaneat, usus fructus vero illius rei ad accipientem transeat, ut ad eum heredesque eius masculos, sive feminas, (si de his nominatum dictum sit,) in perpetuum pertineat, ad hoc, ut ille & sui heredes fideliter Domino serviant, 2. F. 23.* Vides Domini obligationem perfectam in eo confistere, ut rem in feudum promissam Vasallo tradat, atque per hanc traditionem contractum feudalem consummet.

met. At ut fidelitatem exhibeat Vasallo, ad hoc non tenetur Dominus (de hoc enim nihil dicitur in definitione adlata) nisi ex jure mere imperfecto, aut ex virtute, cuius intuitu in foro humano actio non est prodata, nec inter eos qui in statu naturali vivunt, bellum permisum; E contrario autem Vasalli obligatio in præstatione fidelitatis & servitorum principaliter consistit, & Domino ad exigendam illam fidelitatem atque servitia jus perfectum conceditur. Ex quo haec conseptaria profluunt: Felonia est violatio fidelitatis jure perfecto debitæ: Vasallus jure perfecto fidelitatem debet, quia eam promisit, & hinc, si eam violet, Feloniam committit. Dominus Vasallo ad præstandam fidelitatem jure perfecto non est obligatus, quia eam non promisit, & ergo, quamvis eandem violet, Feloniam tamen nullo modo committit.

## §. V.

*Capita fidelitatis a vasallo præstante.* Cum autem Felonia sit violatio fidelitatis, atque adeo natura Feloniae sine fidelitatis natura non commode possit intelligi, doctrina nostra clarior fieri, si potissima capita fidelitatis a Vasallo præstante consideremus, diligentes utrum eadem ad Dominum quoque applicari possint. Recensentur ea capita in Iure Longobardico 2. F. 6. & in Iure Canonico in c. de forma 18. caus. 22. qv. 5. hunc in modum, quod qui Domino suo fidelitatem jurat, sex in memoria semper habere debeat, incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Explicat statim Feudista mentem suam specialius, scilicet *incolume* significare, ne sit in damno Domino suo de corpore suo:

tutum,

*intum*, ne sit ei in damno de secreto suo, vel de munitionibus suis, per quas esse tutus potest: *bonatum*, ne sit ei in damno de sua iustitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus pertinere videntur: *utile*, ne sit ei in damno de suis possessionibus: *facile vel possibile*, ne id bonum, quod dominus eius facere leviter poterat, faciat ei difficile: neve id, quod possibile erat, faciat impossibile. Eadem complectitur forma juramenti fidelitatis, quæ reperitur

2. F. 7. ubi jurat vasallus, quod nunquam scienter erit in consilio, vel in facto, quod dominus amittat vitam, vel membrum aliquod, vel quod amittat aliquem honorem, quem nunc habet, vel habebit; item promittit, se impedire velle, si sciverit, vel audiverit de aliquo, qui velit aliquid istorum contra dominum facere, & si impedimentum præstare nequiverit, se velle domino, quam cito poterit, nuntiare, & contra eum, prout poterit, auxilium præstare. Porro: si contigerit, dominum rem aliquam injuste vel fortuito casu amittere, se velle j�are, ut dominus eam recuperet, & recuperatam omni tempore retineat: si sciverit dominum justè aliquem esse offensurum, se postquam generaliter vel specialiter requisitus fuerit, suum domino, sicut poterit, præstare velle auxilium. Si dominus ipsi aliquid de secreto manifestaverit, illud sine licentia domini se non esse revelaturum, vel per quod pandatur facturum: si consilium ipsius dominus super aliquo facto postulaverit, illud se daturum esse, quod domino magis expedire visum fuerit: denique se nunquam aliquid scienter facere velle, quod ad  
do-

domini & eorum, qui spectant ad dominum, injuriam vel contumeliam pertineat.

§. VI.

*An eadem  
sint capita si-  
luis. Quæstio est, an ad eadem vasallo dominus ob-  
delitatis in-  
strictus sit? Multi ex Doctoribus, imo plurimi fere,  
tuitu domi-  
afferere non dubitant, dominum & vasallum ad  
paria judicari, & sic dispositum in uno dispositum  
quoque censeri in altero, v. quos citat Hermannus  
Vultejus de feud. l. 1. c. 10. num. 47. imo ipse compila-  
tor juris Longobardici 2. F. 6. ita pronunciat, scili-  
cet dominum quoque in his omnibus (quæ vasallus præ-  
stat) vicem fideli suo reddere debere, & si non fecerit,  
merito eum censeri malefidum, sicut ille, qui in eorum  
prævaricatione vel faciendo vel consentiendo depreben-  
sus fuerit, perfidus & perjurus, qui textus secundum  
Alvarotum sanctam juris dispositionem continet,  
sed feudi dominis terribilem, juxta Baldum, v. Vul-  
tejus loc. cit. Singula fusius persecutur Knipschild  
de oblig. domin. erga vasall. qv. 1. n. 10. seqq. juxta ea-  
dem capita, quæ in §. prec. recensuimus. In specie  
dominum contra facile vel possibile impingere putat  
num. 26. seq. quando vasallus officium aliquod am-  
bit, dominus vero illios subornat, ut idem officium  
ambiant, vel quando dominus sinistre de vasallo lo-  
quitur, liberosque alias impedit, quo minus offi-  
cium consiliarii principis, vel officialis bellici ob-  
tinere queant: item si quis ex illustri familia oriundus  
filiam vasalli in uxorem ducere vellet, dominus  
vero male de filia loquitur, v. g. quod rusticis mo-  
ribus prædicta sit, & eo ipso matrimonium illud  
im-*

945

impedit, & quæ sunt similia, quæ Knipschildus maximam partem ex Bocero de jure domini & vasalli l. 2. c. 5. num. 20. scqg. hauisit.

## §. VII.

Videamus jam, an ea, quæ compilator juris Negatur. Ex Longobardici & cum eo Doctores communiter assentientur, cum recta ratione convenient. Quod nobis minime videtur. Si enim Dominus & Vasallus in omnibus plane ad paria judicantur, si nulla inter ipsos est differentia, certe etiam Dominus Vasallo iuramentum fidelitatis præstare, nec non servitia feudalia exhibere obstrictus erit. Hoc tamen nec ipsi dissentientes asserere audent, cum absurditas exinde proveniens sit palpabilis, v. Bocer. de mod. amitt. feud. tit. 1. num. 62. vers. tum quia Dominus Knipschild de oblig. Dom. erg. Vasall. qu. 1. n. 55. Ergo etiam eorum assertio de obligatione Domini & Vasalli universaliter æquali atque reciproca non est universaliter vera ex propria ipsorum confessione. Adde, quod si Dominus & Vasallus in omnibus sint ejusdem conditionis, Dominus Vasallo ad exhibendam reverentiam teneri debeat, haec enim a Vasallo intuitu Domini expresse requiritur, v. 2. F. 23. ibi: quam humilieer, quam devote, quam benigne, quam fideliter erga Dominum suum debeat se habere: sed hic denuo fatentur dissentientes, quod argumentum a Vasallo ejusque obligatione ad Dominum non procedat, unde sponte sua sequitur, regulam de paritate conditionis utriusque, Domini & Vasalli, denuo vacillare. At, inquiunt, hic adeo ratio disparitatis, Dominus beneficium exhibet, Vasallus accipit: Do-

B

minus

iam ex sentia dissentientium dominus non in omnibus paria præstat vasallo.

minus est instar patroni, Vasallus comparatur clienti: atqui cliens quidem patrono debet reverentiam non autem patronus clienti, v. Nicol. Everhardus *in loc. arg. legal. loc. 25. a liberto ad Vasallum.* Bene hæc omnia. Ergo non est omnimoda paritas inter dominum & vasallum, quod tamen afferebant dissentientes

§. IIX.

*Alii casus,  
circa quos  
tamen vari-  
ant: nimi-  
rum de alic-  
natione à  
domino, in-  
ficio vasallo  
faslla.*

Quantum ea attinet, quæ hactenus recensuimus, omnes fatentur, disparem esse conditionem Domini & Vasalli. Addendi nunc sunt casus, ubi Doctores inter se dissentunt, & aliqui ex illis eandem disparitatem adesse statuunt, aliqui negant. Pertinet huc præcipue quæstio de *alienatione Domini directi.* Scilicet notum est, quod, si Vasallus feudum inficio Domino aliener, ipsa alienatio non solum nulla sit, sed Vasallus quoque Feloniam committat & propterea ipsum feudum ad Dominum revertatur z. F. 52. & 55. agit enim contra *utile*, prout dicitur z. F. 6. v. supra §. V. vel iuxta textum z. F. 24. in fin. Dominum contemnere videtur, si modo scivit, rem alienatam esse feudalem, quo nomine ipsi juramentum deferrj potest z. F. 42. Quæritur: an Dominus etiam amittat Dominium directum, si inficio vasallo illud alienaverit, propter naturam correlatorum. Multi quæstionem simpliciter affirmant, Zasius *de Feud. part. 10. n. 82.* Schrader *de Feud. part. 3. c. 4. n. 42.* in f. Rosenthal *de Feud. c. 9. Concl. 62. n. 2. seqq.* Mynsing. Cent. 4. Obs. 91. n. 8. 9. 10. Alii distinguunt, ita ut Dominus Dominum suum directum in *equalem* vel qui *majoris dignitatis* est, alienare quidem possit, non vero in *inferiorem*, Afflict. *decis.* Neapol. 265. n. 33. Gyid.

946.

G: id. Pap. decis. 160. n. 1. Alii denique quæstionem ante propositam simpliciter negant, statuentes, dominum sine alicujus feloniae nota dominium directum in quemcunque sine ulla distinctione licite transferre posse, ex quibus laudasse sufficit Struvium S.I.F. cap. 13. Aph. 9. & in not. num. 14. qui hac ratione utitur, quod manifesta inter vasallum & dominum intercedat diversitas in proposito casu, quoniam domini jus non dependet a vasallo, adeoque dici nequeat, in contemtum vasalli ejus consensum omissum esse; Addo, quod dominus per ejusmodi alienationem ne quidem contra *utile* vasalli peccet; quia ipsi ratione feudi nullum præjudicium infert. Hæc itaque sententia reliquis quoad principia juris Longobardici cuius doctrinam jam examinamus (conf. dicenda §. ult.) sine dubio præferenda. Consernit B. Stryk *in exam. jur. feud. c. 19. qu. 16. nov. edit.* statuens, vasallum intuitu alienationis a domino factæ contradicendi potestatem non habere, si speciale interesse docere nequeat. At tale interessè docere nequit. Dominus enim alienans plus juris non transfert in alterum, quam ipse habuit, ergo vasallo perinde est, sive hunc sive alium dominum habeat. Dicis : fieri posse, ut novus dominus forte vasallum durius tractet ; Respondeo , forte , forte etiam hoc non faciet; præsumtio pro novo domino æque militat, uti pro priore. Et forte etiam prior dominus durius tractasset vasallum futuro tempore. Ex ejusmodi conjecturis fallacibus, certa decisio desumi nequit. Posito autem, quod etiam de novo domino certo constet, eum majore rigore adversus va-

B 2

fallum

fallum usurum esse, recurrat tamen prior ratio, quod domini jus non dependeat a vasallo, & sic ille huic ad rationes factorum suorum reddendas non sit obligatus.

### §. IX.

*De Prelato.* Porro regulam de æquali jure inter dominum & vasallum Doctores in eo etiam casu limitant, quando dominus feudi directus est persona ecclesiastica, v. g. Prælatus, qui de bonis ad ecclesiam pertinentibus & intendari solitis aliquem tanquam vasallum investivit, deinde autem feloniam, ut vulgo dicunt, contra vasallum admisit. Hoc seilicet casu Prælatus, ex ipsorum Doctorum confessione, dominii directi amissione puniri non potest, cuius ratio evidens est, quoniam Prælati jus cum jure Ecclesiæ arctissime est connexum, & propterea, si domino dominium directum auferretur, Ecclesia simul evidens damnum incurreret, quod tamen cum regulis justitiae pugnarer, quia alteri per alterum iniqua conditio non debet inferri, v. Intrigiol. de feud. qu. 62. n. 16. Joh. Schonerus disp. feud. lib. 1. disp. 10. tb. 130. Matth. de Afflictis Decis. Neapol. dec. 265. num. 24. Carol. Molin. ad Consuet. Paris. tit. 1. §. 3. gloss. 4. §. 12.

### §. X.

*Quid si dominus simul suus directus supremo imperio gaudeat?* Adhuc porro dictam suam regulam Doctores minus limitant, ut non procedat eo casu, quando dominus suis simul suo directus supremo imperio gaudeat, v. Schonerus premo impe. d. l. 1. disp. 10. tb. 128. Ex instituto hunc casum ratio gaudeat? Etat Carolus Molinæus ad consuet. Paris. d. tit. 1. §. 3. gloss. 4. §. 17. cuius verba hic apponere lubet.

Dicitur,

Dicitam, inquit, regulari limito primo, ut non procedat in Rege, seu alio supremo domino superiori rem non recognoscente, qui si unum ex vasallis suis enormiter & injuste offenderet, (quod non est presumendum,) si tamen ita de facto contingeret, ita, quod si offensus (vasallus) nedum in Regem, sed etiam in quemvis alium idem commississet, nedum feudo, sed etiam omnibus bonis privaretur, non tamen locum haberet pena privationis dominii directi, nec juris feudalnis, quia c. domino &c. ex facto solum habent locum in inferioribus dominis superiorem recognoscentibus, non autem in supremo Rege, ita expresse decidit Luc. Penn. in l. in sacris 3. col. pen. vers. Sed pone Rex Sicilia c. de prox. sacr. ferin. lib. 12. Matth. Afflict. Dec. Neap. 265. n. 13. in 36 fallent. Ratio est, addit, quia illud dominium directum & jus feudale est de dominio coronae, seu maiestatis regiae & sic inalienabile & inabdicabile per ipsum Regem. Paulo post addit: Fortius dico, quod nedum proprietate in perpetuum, sed nec etiam ad vitam, nec etiam simplici administratione privabitur, quia juxta stylum Molinai formalis & essentialis virtus Regis est jurisdictionis, quae prorsus de se est inabdicabilis a rege, manente rege, nec est separabilis a regia dignitate, sine sui velut subjecti corruptione.

## §. XI.

Hactenus recensuimus casus, ubi ex ipsa Do-  
ctorum confessione inter dominum & vasallum  
disparitas conditionis deprehenditur, nec a vasalli  
felonia ad feloniam domini procedit consequentia.  
Nunc vero asserimus, nullum plane dari casum,

Dominus  
nullo plane  
casu dominio  
directo pri  
vari potest.

B 3

ubi

ubi dominus ex eo capite, quod adversus vasallum deliquerit, dominio suo directo privari possit. Idque ex ratione in §. IV. jamdum adducta, quoniam vasallus domino ad fidelitatem specialem jure perfecto obligatur, e contrario autem vasallus intuitu domini jure imperfecto saltem gaudet, unde nec jure belli, nec actionis contra ipsum insurgere potest, si ex imperfecto illo jure aliquid non praestiterit. Ex omnibus, quos evolvere licuit Feudistis solus hoc observavit Matth. de Afflictis *decis. Neapol.* 265. num. 4. qui dicit, quod vasallus quidem teneatur *juvare*, dominum (quod *juvare* pleraque vel omnia fidelitatis capita includit,) dominus vero non possit adstringi ad juvandum vasallum nisi ex *urbanitate*, reprehensus quidem propterea a Carolo Molinæo *ad consuet. Paris. tit. 1. gloss. 4. §. 23.* sed ex mero autoritatis præjudicio. Imo ipse Molinæus *d. 1. §. 22.* & 24. nostræ sententia subscrivere videtur, quando vasallum, sive, ut ipse loquitur, clientem *strictius* patrono teneri dicit, quam patronum illi, item quod patronus vasallo principaliter ad *amorem*, *benevolentiā* & *confidentiam* obligetur: amor enim benevolentia & similia non ex jure perfecto, sed ex mera virtute profluunt.

## §. XII.

*Definitione felonie trahit fusus demonstratur etiam ne lædat dominum in corpore & bonis ejus &c. Atqui in his & similibus parem fidelitatem donum vasallo debet, & quidem jure perfecto, ita ut*

ut vel actio ob talem infidelitatem concedatur vasallo, si dominus habeat superiorem, vel saltem justa causa belli oriatur, si dominus superiorem non habeat. At quis neget dominum vasallum in bonis, corpore & famâ lâdentem teneri vasallo ad resarcitionem damni & satisfactionem ob illatam contumeliam sive per actionem, sive per bellum? Ergo in his certe casibus dominus feloniam committet, & falsa adeo erit assertio tua, in universum negans, quod dominus non committat felonium. Fateor, primo intuitu objectionem hanc non esse nullius momenti, unde opera danda est, ut ad eam respondeatur paulo distinctus. Igitur *primo* noto: quod, dum supra dixi: feloniam esse violationem fidei jure perfecto debitæ, non ibi tradere voluerim perfectam feloniac definitionem, sed solum partem definitionis ibi pesuerim. Ut itaque intelligatur accurata feloniac definitio, tenendum erit *secundo*: Fidem vel fidelitatem accipi vel late vel stricte. Primo modo, pro debito perfecto etiam citra promissum, quo pertinet obligatio de nomine lâdendo. Stricte vero & proprie fidelitas est, quæ oritur ex ipso promisso, quorsum spectat commune præceptum de fide data servanda. Dominus fidem lade & abusive dictam vasallo deberet, etiam antequam feudum dederit, hæc ergo non tollitur quidem per contractum feudalem, nobis autem sufficit, quod hæc fidelitas ex contractu non oriatur. Nec obstat, quod vasallus tamen etiam ob datum dicatur fidelitatem violasse & feloniam commisisse. Hic enim supponendum erit *tertio*, quod cum

cum vasallus feudum amittat , si fidem promissam domino non exhibeat , multo magis feudo fuerit privandus , si insuper domino damnum dederit . Hæc vero argumentatio non procedit in domino . Cum enim hic nullam fidem strictè dictam vasallo promiserit , ac propterea nec hanc fidem violasse dici possit , multo minus propterea dominio privandus sit , qua non entis nulla sunt prædicata , ideo intuitu domini non procedit argumentatio à minori ad majus , cum hic aperte prius argumentationis membrum deficiat . Quod si porro intes : at vero dominum ex nostra concessione teneri vasallo ex contractu , ad feendum promissum tradendum , atque vel sic tandem adesse violationem fidei ex contractu perfecte debitæ , si dominus feendum tradere nolit ; & inde inferas , in hoc itaque casu feloniam domini adesse , respondebo quarto , nondum absolutam fuisse felonie definitionem ; sed feloniam esse crimen feudale , ubi quis ob fidei , id est obligationis perfecte , sive ex merito jure naturæ ante promisse , sive ex ipso contractu feudali debite , violationem à lœso feudo privari potest . Hæc vero definitione , in qua consentiunt omnes , positâ constabit quinto : dominium , si fidem datam violet , feloniam non committere . Neque enim ullus unquam , quod sciam , asseruit , dominum ob non adimpletum contractum posse feudo , i. e. domino directo privari , sed solum vasallus actionem habebit ad rem promissam accipendam . Igitur etiam sexto dicendum erit : dominum , si damnum det vasallo , teneri saltem ex principiis juris naturalis ad reparationem damni dati . Adeoque jam ad alterum membrum dissertationis nostræ

nostræ pervenimus: an dominus ob violationem  
etiam juris perfecte vasallo debiti feudo privari possit,  
quod pariter negamus.

## §. XIII.

Atqui, pergis, tu contra solem, id est claros Adducuntur  
textus juris feudalnis loqueris. Ita enim 2. F. 26. §. textus ex ju-  
domino habetur: *Dominō committente feloniam, ut ita re Longobar-  
dicam, per quam vasallus amitteret feudum, si eam dico obstan-  
committeret, quid obtainere debeat de consuetudine,*<sup>tes.</sup>  
*quaritur? & respondetur, proprietatem feudi ad va-  
sallum pertinere, sive peccaverit in vasallum, sive alium.  
Ita porro 2. F. 47. Ex facto quesitum scio, & ego à plu-  
ribus quesivi, si dominus contra vasallum apertam felo-  
niam fecerit: an, sicut vasallus feudum debet amittere,  
ita dominus proprietate privetur? & quidam dicunt ex  
omni felonìa, qua vasallus feudo privatur, & dominus  
proprietate privetur. Alii non nisi ex magna felonìa:  
alii ex nulla. Sed prior sententia mibi placet, non ha-  
bita distinctione, qualis vasallus sit, utrum per sacra-  
mentum, vel non. Clara verba.*

## §. XIV.

Imo paulisper dubia. Primo enim in textu ostenditur,  
2. F. 26. §. domino Feudista in verbis: *ut ita dicam, eos textus*  
ipse innuit, vocabulum *felonia* in persona domini paulisper  
impropriè & abusive usurpari. Nec pertinent ad *dubios esse*.  
remi, quæ hīc in contrarium adfert Caspar Bitschius  
*in comm. ad 2. F. 26. §. domino committente notab.* 2. sci-  
licet verba illa: *ut ita dicam, eo potius pertinere,*  
quod vocabulum *felonia*, sive de domini sive de va-  
salli culpā accipiatur, non satis latinum sit, sed bar-  
barum & peregrinum. Nam notum est, quod jus

C

Lon-

Longobardicum feudale et si undiquaque phrasibus & vocabulis non satis latinis sed barbaris & peregrinis abundet, Compilator tamen nullibi aliqua excusatione eo nomine utatur, ne quidem in plerisque editionibus quoad verbum *assalierit* 1. F. 5. & 2. F. 24. §. porro, quod quidem in contrarium adducit Bitschius. Imo non potuit compilator latinitatem medii ævi excusare, quoniam eo tempore melior in usu non fuit, & sic ille omnes phrases omniaque vocabula satis latina esse sine dubio credit. Et si existimavit vocabulum feloniae non satis latinum esse, cur vocem *soldate*, *cucurbitationis*, *cavene* &c. pro latinis sine ulla nota habuit? Quod textum alterum 2. F. 47. attinet, exinde apparet, jam eo tempore quæstionem de felonie domini non fuisse extra controversiam, sed nonnullos nostræ sententiae accessisse, quod nempe dominus ex nulla causa proprietate privetur. Et sane, quando alii dominum vasallo simpliciter æquiparare voluerunt, Baldus eam decisionem mirabilem & singularem esse dicit, plerisque hoc nimis rigorosum videtur, tradente Bitschio loc. cit. membr. alt. notab. 1.

## §. XV.

*Jus Longo-*  
*bardicum in tamen scriptam: Nostrum non esse de legibus di-*  
*hac materia sputare, sed secundum leges: Respondebo, jus*  
*nullius apud nos esse autoritatis. Scilicet jus feudale Longo-*  
*bardicum in usum Germanorum non fuit collectum,*  
*sed Germani jam diu ante usi sunt antiqua illa col-*  
*lectione juris feudalibus, cuius codicem Freherus*  
*posse-*

950.

possedit, privata quidem autoritate conscriptum, nec a Rege quopiam Germaniae in Comitiis confirmatum, interim tamen mores patriæ simplices tum temporis & omnibus notos comprehendentem. Jus Longobardicum postea demum tanquam accessio juris Romani occasione institutarum in Germania Academiarum & Professorum ex Italia petitorum in Academias ipsas & deinde in foro intrusum fuit. Sed cave, ne putes, eo ipso omnem juris feudalis Germanici usum & autoritatem exolevisse. Evidenter plerique ex Jctis Germaniae in resolutione questionum feudalium obvenientium sola illa Longobardorum placita tanquam leges authenticas allegare consueverunt, juris vero Germanici ne minimam quidem mentionem injiciunt, eodem modo, uti in controversiis civilibus ad ius Romanum tanquam ad sacram anchoram configuiunt; nihilominus tamen ius Germanicum tam Saxonicum quam Suevicum, in potissimum & plerisque controversiis feudalibus in Germania foris revera obtinet, edeoque juris feudalis Longobardici exiguum est usus, v. Dn. Praef. in selec. cap. bistor. jur. feud. Germ. §. LVII. LXIX. LXIX. & LXX. quod deinde quoad hanc materiam ex defectu exemplorum, ubi dominus suo jure proprietatis unquam privatus fuerit,clare demonstrabimus.

## §. XVI.

Porro notamus, quod ius Germanicum ea *Jus Germanicum felonum* ignoret, quæ ius Longobardicum de felonie do- mini ejusque poena tradit. In Jure Alemanno hac *nie pœnans ignorat in tuu domini.* de re est cap. LXIX. apud Schilterum ubi sub se- quenti

C 2

quenti

quenti rubrica: Wie der Herre truwe an seinem Man bricht / ita: Git ein Man Güt uff eine Herren als bescheidenlichen / das er das Güt eime andern lihe, und wyll der Herre denne das Güt selber han / so bricht er sine truwe an dem Man/ und hilfft in doch nüt/ er hat sin Güt nüt verloren/ er soll es wider vordern / das er hinc sin Güt wieder liehe. Tuter das nüt/ so habe er sin Güt mit rechte. Tuter der Herre derüber Gewalt / so elaget er als dis Buch seit. Paria fere habentur in jure feudali Saxonico cap. 36. Lehet ein Man seinem Herren Gut auff (also bescheidenlich) das er es einem andern leihe / will es der Herr darnach selber behalten / und will es jenem nicht auflassen / noch leihen/ er hat kein recht darzu / das Gut zu behalten/ wenn es ist im nicht anders aufllassen / denn also daß er jennem leihen soll. Sensus, ut vides, hic est. Si vasallus feudum refutaverit domino, sub conditione , ut alium v. g. Sempronium de eo investiat, dominus autem conditionem illam non impleat, sed feudum sibi ipsi retineat , tunc dominus fidem datam violat, non tamen ut dominium directum amittat , sed ut obligetur ad repetendam investituram & ut vasallus recuperet ipso jure dominium utile, refutatione illa pro nulla habita v. Schilter. *Cod. jur. Alemann. feud. in Comm. ad d. cap. LXIX.*

### §. XVII.

*Textus ob-  
stantes ex ju-  
re Saxonico  
feudali &  
provinciali.*

Deprehenduntur tamen nonnulli textus in jure Saxonico , qui dictæ nostræ assertioni obstare videntur. Ita in jure Saxonico feudal i. 77. Ent- saget auch der Herr dem Mann / er hat das Gut ver-

957.

verlohrn; & in jure Provinciali l. 3. art. 84. Tödtet ein Mann seinen Herren / er hat verwircket seinen Leib und seine Ehre / und das Gut / das er von ihm hat zu Lehen. Dasselbig verwircket auch der Herr / ob er seinen Mann tödtet / und der überst Lehenherr mag seine Kinder mit dem Gut / an den Herrn / der diesen tödtet / nicht wieder gewiesen. Videlur hic non minus, ac in jure Longobardico asseri, quod dominus & vasallus ad paria teneantur, & quod dominus æque ac vasallus feloniam committere possit.

## §. XIX.

At videtur saltem. Nam quod initio textum juris feudalis Saxonici attinet: respondeo(1) eum *Ad quos respondetur.*  
textum valde obscurum esse, ut nescias qua de re loquatur Compilator. Etsi enim textus haud dubie desumtus sit ex veteri Autore de Beneficiis §. 15.  
*de urbano beneficio p. 167.* tamen & ille paragraphus eadem obscuritate laborat. Sic enim ibi legitur: *Dominus è contrario perdat beneficium quod ab eo habet homo, si statim à superiori Domino petit secundum jus illud beneficium.* Nisi forte hic sensus sit: si dominus (medius) nolit investire vasallum, quod tunc ille dominus non amittat dominium directum in vasallum transferendum, sed quod vasallus possit id beneficium petere à domino superiori. (2) Vocabulum entsagen duos potest habere significatus, vel ut *resignationem* dominii directi involvat, vel *dissolutionem*. Pro utroque significatu adsunt conjecturae in dicto textu, maiores autem pro priori, cum paulo post dicatur, *wer sein Gut seinem Herren aufleßt/ oder entsagt:* ubi entsagen tanquam synonymum

C 3

synonymum

nymum des aufflassens/ id est, renunciationis juris  
sui, ponitur. Sed si ita accipias vocabulum entsa-  
gen / nihil adest, quod feloniam juris feudalis Lon-  
gobardici aliquo modo sapiat. Dominus enim, qui  
renunciat juri suo, jus illud ex sua voluntate amit-  
tit, ac verba: *Er hat das Gut verloren / nihil aliud*  
*involvunt, quam dominum renunciationi semel fa-*  
*ctæ non posse contravenire, id quod juris commu-*  
*nis est.* (3) Quod si vocem entsagen de diffidatione  
accipere velis, pro quo significatu conjecturæ sunt  
in verbis *d. c. 77.* Beutet aber der Herr seine Leuth  
&c. tunc ex constitutione Alberti Imperatoris, quæ  
ad finem juris Saxonici feudalis adjecta est *leg. 3.*  
constat, diffidatores poenam banni incurrere, ita  
enim ibi: *An wem der Handfried gebrochen wird/*  
*überzeuget man ihn des auff den heiligen vor dem*  
*Richter mit zweien erbarn Mannen / die das mit*  
*ihrem Recht behalten haben / daß der Fried an ihm*  
*gebrochen sey / der Richter soll ihn in die achte thun/*  
*und soll ihn nimmer daraus lassen / ohne des Klä-*  
*gers willen / er vorliesse denn seine Hand darumb.*  
(4) Imo ex eodem textu juris feudalis Saxonici po-  
tius nostra sententia confirmatur, ubi in verbis an-  
tecedentibus *d. art. 77.* ita Compilator loquitur.  
Beraubet aber der Herr seinen Mann / er mag das  
wohl klagen auff Ihn / und darzu alles im Gericht  
das er Ihn hat vor seinen Landrichter/ und mag sich  
sein weren / und darf Ihm darumb sein Gut nicht  
aufflassen. &c. Qui textus desumptus est ex veteri  
Autore de Beneficiis *d. l. §. 14.* Hic enim non asseri-  
tur, quod dominus vasallo damnum dans privetur  
do-

952.

dominio directo, sed solum, quod vasallus dominum de damno dato resarcendo convenire possit coram judice provinciali. Quod vero alterum textum ex jure Saxonico provinciali *in §. præced.* adductum concernit; respondeo 1) ex eadem constitutione Alberti e jusque verbis sequentibus: Hat er aber den Handfrieden mit Todschlag gebrochen / so soll er aus der Acht nimmermehr kommen / wenn mit dem Tode soll er büßen und darzu rechtlos und ehrlos ewiglich bleiben. Vides non hic agi de poena felonie, sed de pena generaliter & citra relationem domini erga vasallum in omnes statuta, qui fractâ pace publica alios invadunt atque occidunt. Adde 2) quod textus loquatur non de domino superiore, sed intermedio, ita ut dominium directum à domino propter intersectionem vasalli amissum non acquirat vasallus occisi filius, sed dominus superior, quod colligitur ex dicto textu vers. und der überst Lehenherr add, Clarus sent. l. 4. §. feudum qu. 72.

## §. XIX.

Valeant ergo brocardica illa, quæ vulgo pro *De brocardi-*  
*opinione communi cum allusionibus variis afferri* *cis & allusio-*  
*nibus vulgo asserti solitus,*  
*Treu Herr* / *treu Knecht* / *höld Herr* / *höld Knecht*: quod tanta inter dominum & vasallum esse  
 debeat conjunctio, quanta est inter maritum & uxorem: imo, quod dominus vasallum ita diligere te-  
 neatur, prout pater filium suum diligit, & quæ sunt  
 eius generis plura alia, v. Knipschild *de oblig. dom. er-*  
*ga vasall. qu. 1. num. 8. seqq.* Quemadmodum enim,  
 quod brocardicum *treu Herr* / *treu Knecht* / attineret,  
*Arnoldus l. 1. de jur. majest. cap. 6. §. 2.* & post eum  
 Dn,

Dn. Hertius *paræm. l. 2. paræm. 24.* §. 1. ostendit, illud nemini non rebellium subditorum in ore esse: ita, licet etiam sano sensu accipiatur, exinde tamen nihil sequitur, quod hypothesin de feloniam domini corroborare queat. Scilicet jam supra §. XII. ostendimus quod omnino mutua quædam fides inter dominum & vasallum sit, sed simul subjunximus, quod illa fides pro diversitate vasalli & domini sit quoque diversissimæ naturæ, & quod ejus violatio non involvat feloniam, aut vasallo addicat dominium directum. A societate autem conjugali & paterna ad negotium feudale nulla plane valet consequentia, imo hic potius notum illud, omne simile esse dissimile atque claudicare applicari potest. Maritus uxorem castigando ipsi non infert injuriam, bene autem uxor marito, si simili modo contra maritum procedere velit. Filius patrem verberibus afficiens contra præceptum quartum peccat, an etiam pater filium plagiis emendans? Vides etiam in his societatis jura personarum admodum diversa esse.

## §. XX.

Sed forsan leges feudales & Doctorum assertiones de feudis oblatis solum intelligendæ erunt, ut nempè in hisce dominus & vasallus eandem fidem sibi mutuo debeant, & sic dominus erga vasallum feloniam crimen committere queat; Imo vero textus feudales de feudis oblatis explicari nequeunt, cum ubique de feudis datis loquantur & fenda oblate eo tempore non fuerint cognita. Interpretæ quoque ut plurimum, si non semper, feuda data præ oculis habent. Posito autem, quod textus juris Longobardici etiam

*Sententia  
noſtra & in  
feudis datis  
& in oblatis  
procedit.*

etiam de feudis oblatis explicari possint, dominus tamen non magis intuitu feudorum oblitorum, quam datorum feloniam erga vasallum committeret. Quamvis enim nonnulli & inter eos præcipue Wurmserus de feud. improp. class. 3. scilicet 8. p. 281. statuant, Nobiles non eo intuitu res proprias in feudum offerre censeri, ut prejudicium sibi generare velint, sed ut abundantiori cautela sibi perspiciant; ex quo inferre volunt, vasallis in feudis oblatis majora privilegia & jura competere, quam alias admittit natura feudorum communiter; jam olim tamen Dn. Præses in disp. de feud. oblatis. c. 1. §. 65. ostendit, hanc Wurmseri opinionem neque in textu aliquo juris neque in ratione esse fundatam; scilicet, improprietas, quæ in feudo oblato occurrit, occasionem contrahendi solummodo afficit, in reliquis vero feudi dati & oblati eadem natura manet, finis quoque in utroque feudo idem est, quoniam neque textus feudalnis adferri potest, qui contrarium disponat, neque etiam per necessariam consequentiam & ratiocinationem tale quid inferri potest. Applicatur itaque hic canon notus: exceptionem firmare regulam in casibus non exceptis.

## §. XXI.

Ex dictis hactenus jam facile constat, quid sententia sentiendum sit de sententiis Doctorum communibus circa quæstionem: An dominus feloniam committens dominium directum amittat in vasallum transferendum? Evidem communiter affirmativam tuentur ob autoritatem juris Longobardici d. 2. F. 26. §. domino. Et hiuc Knipschild de oblig. dom. erg. vasall. qu. 3. n. 44. seqq. in casu felonie a domino

D

com-

*Doctorum de  
felonia do-  
mini, (1)  
eam afferen-  
tium,*

commissæ dominium utile cum dominio directo consolidari asserit, ita ut domini delinquentis agnati etiam a jure dominii directi in perpetuum excluantur, cum in casu, ubi vasallus feloniam commisit, agnati quidem feudum aliquando recuperent, sed ex speciali causa, quoniam agnati vasalli ex pacto primi acquirentis jus firmum acquisiverint, quod ad agnatos domini directi applicari nequeat. Quod tamen restringunt ad illum casum, quando dominus ex bonis suis *allodialibus* fundum aliquem alteri in feudum concessit, & sic ipsum domini jus allodiale est si enim dominus jus, quod in feudum dedit, recognoscet ab alio superiore, vasallus quidem eximitur a servitiis dominii delinquentis, & jure vasallagii, verum jus dominans non aufertur agnatis delinquentis, vel iis deficientibus domino superiori, sive feloniam in ipsum vasallum, sive in alium commissa fuerit. v. Jul. Clarus lib. 4. sentent. §. *feudum qu. 72.* Rosenthal *de feud. c. 11. concl. 21.* Gothofred. Anton. *diss. feudal. 12. thes. 5. lit. e.* Knipschild. d. *qu. 3. n. 45. & 46.*

### §. XXII.

(2) *Dubium.*

Sunt tamen nonnulli inter Doctores, qui jam ante nos de veritate assertionis dubitare cœperunt. Andreas Knichen in tract. de vestitur. passion. part. 2. c. 5. n. 249. præmittrit, fidelitatem, quam exhibet vasallus domino, distare ab ea, quam dominus vasallo debet, neque parilem in omnibus & per omnia censeri obligationem, deinde autem num. 269. concludit, opinionem, qua vasallo addicetur dominium directum *velut periculosem admodum & parum tutam in desuetudinem abiisse*, addens num. 274, se ex tot obser-

observationibus & decisionibus cameralibus, quæ (sunt verba ejus) modo veluti ex equo Trojano producent, pœnam privationis directum dominium concernentem irrogatam, quinimo eo nomine actionem intentatam fuisse, nondum deprehendisse. Julius Clarus *sentent. lib. 4. §. feudum qu. 49. n. 7.* proponit quæstionem: An dominus feudi proprietate privetur, si vasallo renovationem investituræ potenti eandem denegaverit? Respondet autem, sententiam affirmantium sibi nimis rigorosam videri, tanto magis, cum pœna privationis secundum communes regulas imponi non debeat, nisi in casibus a jure expressis. In *quest. 68.* disquirit: an dominus feudi proprietatem amittat, si iustitiam vasallo non administraret? argumentum vero a vasallo hac in re desumptum sibi non placere subjicit. Huldericus Eysenius *in Elect. Jur. feudal. c. 11. §. 10. lin. fin.* quotidiam experientiam testem esse, frequenterque illud evenire dicit, ut vasalli ex causa felonie conveniantur & feudis suis exuantur: è contrario autem rarissime & fere nunquam, ut seniores sive domini directi, proprietate sua exuantur, quamvis simul existimet, quod potentia forte dominorum & alia hujus rei causa esse possint.

### §. XXIII.

Propius ad sententiam nostram accedit idem (3) Nobis Knichen *de vestit. paction. part. 2. c. 5. n. 174.* Feudalis, *cum negantur,* inquit, contractus censetur equidem ultro citroque obligatorius, nihilosecius tamen arctius vinculum residet in vasallo, quam in domino, ille etenim dum recipit beneficium, domino sese obstringit ad obe-

D 2

dien-

dientiam & reverentiam juris jurandi religione firmatam, qua fidelitatem ipsi pollicetur sub conditio-  
ne, nisi eam amissitatem observet, ut beneficio in-  
dignus sit. At ex adverso dominus devincitur non  
quidem ad reverentiam, verum adimplere promissa,  
quo vasallus beneficio conceesso, uti frui queat. Alio-  
qui addit Knichen, (id est, si dominus feudum pro-  
missum non tradit) vasallus jure contra dominum ex-  
periri potest, (supponit talem dominum, qui superio-  
rem agnoscit) ut vero legi commissoriæ quoad di-  
rectum dominium sibi specialiter reservatum obno-  
xius sit dominus, & illud vasallo cedat, eo domini  
promissio sele non expandit, dominus enim largitur  
vasallo beneficium, hic vero in ipsum nullum confert.  
Haec tenus Knichenius. Addimus, quod nulla quoque  
exempla afferri possint, ubi dominus per sententiam  
feudo suo ex capite felonie privatus fuerit, ut ex  
ipso Knichenio jam notavimus, & quod convallis,  
sive paribus curiæ, si illi adhuc judicium feudale con-  
stituant, nunquam detur potestas privandi dominum  
dominio directo per modum sententiæ judicialis.  
Quomodo enim privabunt illum, qui poenam pri-  
vationis non promeritus est?

#### §. XXIV.

*Falsum est,  
quod depe-  
tus exem-  
plorum po-  
tentie domi-  
norum sit ad-  
scribendus.*

Ex dictis etiam appareat, falsum esse, quod  
exempla factæ privationis dominii directi propterea  
non facile adduci queant, quoniam domini poten-  
tiores sint vasallis, & sic potentia jus vasallorum sup-  
primat; ostendimus enim quæstionem non esse de  
potentia, sed de jure, jus autem intuitu vasallorum  
hac parte deficere: Non posse ergo vasallos dominum  
*jure*

*jure* privare dominio directo, licet æque potentes essent, aut plane potentiores, quam ipsi domini. Injuriæ itaque atroces sunt & detestanda scommata, quæ ex falso supposito de dominorum potentia jus vasallorum prætensum impediente, apud Doctores reperiuntur, qualia collegit Bitschius in *Comm. ad consuet. feud. l. 2. tit. 26. c. domino membr. 2. notab. 6.* easque haud obscure approbavit, v.g. quod dominus feudi butyraceus devoret vasallum etiam chalybeum, juxta proverbium Gallorum, item allusio ad Apologum Æsopi de societate inter ollam æneam & fistilem, & quod senior fistilis vasallum tamen æneum conficiat, ut alia taceamus. Sane qui talia evomunt, omnem verecundiam & reverentiam erga supremos feudorum dominos adjecisse censendi sunt. Necessario enim ex ipsis dictioriis sequeretur, dominos directos habendos pro hominibus perversis, neque præsumptionem bonitatis, quæ pro omnibus hominibus alias militat, ad eosdem applicari posse, quam doctrinam minime conuenire cum reverentia dominis a vasallis debita, apertum est.

## §. XXV.

Sed quid si ponamus, quod dominus animum hostilem erga vasallum aperte gerat, tunc certe extra dubium esse videtur, dominum directo suo dominio privandum esse; In hostem enim omnia licent, & qui animum hostilem erga me profitetur, contra illum in infinitum progredi, & ipsam vitam, nedum bona eidem eripere licet. Respondeo primo, vix concipi posse ejusmodi casum, si vasallus officium suum faciat, nisi quis ad scommata in §. preced.

D 3

no-

*Sed quid si  
dominus aperte  
hostis  
vasalli fiat?*

notata recurrere velit. Deinde vero, ponamus existere casum, tunc vel vasallus bellum gerit *cum ipso domino*, vel is casus erit, *ut dominus assistat uni belligerantium, vasallus alteri*. Priori casu, si vasallus cum ipso domino bellum gerit, præsumtio de justitia belli omnino pro domino erit, in primis si vasallus simul domini subditus sit, quem dominus non nisi ob violatam fidem aggressus esse censetur. Imo licet non simul sit subditus, nulla tamen ratio est, quæ suadeat, magis pro vasallo, quam pro domino præsumendum esse. Posteriori casu, si dominus uni belligerantium assistat, vasallus alteri, iterum non apparent ratio, ob quam major præsumtio pro vasallo, minor pro domino capi debeat, dominus enim æque probabiles causas suscepit belli allegare poterit, quam vasallus, prout hoc communiter ab omnibus belligerantibus fieri solet, ita ut homines extra partes positi in diversas sententias abeant, aliis huic, aliis adversæ parti justitiam causæ adscribentibus. Ulterius in tali rerum statu progredi non licet, quia deficit judex ad controversiam pro tribunali examinandam atque decidendam habilis, unde prout in omnibus bellis, ita quoque hic eventus instar judicis erit. At nos non querimus de eventu bellico, sed de jure. Unde non sequitur, dominus bello succubuit, ergo feloniam commisit ejusque pœnam luit, belli enim exitus ad materiam de pœnis non pertinet.

## §. XXVI.

*Si dominus superiorem habeat, &* Dominus ergo directus, qui superiorem non agnoscit, ex capite feloniae dominio suo nunquam privari potest, de quo jam supra §. X, dictum fuit.

At,

At, quid dicendum, si dominus sit intermedius, agnoscens superiorem? Ex nostris principiis nec ille feloniam committit, & sic quæstio de felonie pœna per se cessat. Sed ponamus etiam, quod detur ejusmodi felonie, & quod juxta leges alicujus regni vel provinciae, dominus pœna affici debeat; dominium tamen directum eo casu neutiquam ad vasallum pertineret, sed Regi, tanquam domino supremo, adjudicandum esset, v. Molinæus *ad consuet. Paris. tit. 1. §. 3. gl. 4. §. 13.* Et hoc quoque evincunt exempla, quæ a Doctoribus communiter afferri solent. Ita in regno Siciliae & Neapoleos proprietas feudi, si dominus medius in vasallum peccavit, non vasallo accedit, sed Regi defertur. Verba constitutionis Rogerii *l. 3. tit. 16. de fidejussione dominorum a vasallis in Conf. Neap.* hæc sunt: *Si Dominus vasallum sine justa causa verberaverit, vel cum uxore sua adulterium commiserit, vel filiam ejus invitam defloraverit, homagium (id est vasallagium, jus dominicum) ejus amittat, & homo predictus immediate ad curiam nostram pertineat,* Ita quoque Gallorum moribus observatur, testante Cujacio *ad 2. F. 5. 6. & 7. vid. Bitschius in Comm. ad consuet. feud. l. 2. tit. 26. §. domino. & Dion. Gothofredus in not. ad 2. F. 26. lit. q. conf. supra §. XLIX. in fin.* Faretur ergo ipse Bitschius *loc. cit. membr. alt. notab. 7. maximam difficultatem & dubitationem esse circa decisionem juris Longobardici, qua proprietatem ex domini felonie, præsertim in alium commissa, caducam factam ad vasallum pertinere traditur.* Mox tamen subjungit: *verum ut unque specialibus locorum quorundam constitutionibus aut moribus diver-*

*ipſi domini-  
um fit auf-  
rendum, illud  
non pertinere  
ad vasallum  
sed ad supe-  
riorum,*

diversum obseruetur: ut cunque etiam id non peraque  
in frequenti usu sit; nequandum tamen non est, bis tex-  
tibus juris feudaloris ita dec sum esse, ut proprietas ad va-  
sallum pertineat. Vides nihil obstare, praeter auto-  
ritatem juris Longobardici, quam tamen nos supra  
jam destruximus.

## §. XXVII.

*Exempla, ubi  
domini dire-  
cti jure suo  
privati illud-  
que ad va-  
sallum trans-  
latum fuit.*

Sed videamus, utrum exempla proferri queant,  
ubi domini directi non solum jure suo privati, sed  
illud simul quoque vasallis applicatum fuit. Recen-  
sent ejusmodi exempla nonnulli feudarium jurium  
interpretes. Inter illa referri solet, quod Rex Fran-  
ciorum tanquam dominus directus propter feloniam in  
Carolum V. Cæsarem, ut Ducem Burgundia & va-  
sallum commissum, proprietatem Comitatus Flandriæ & Artesiae perdidit, eamque Carolo Cæsari  
acquisitam esse, judicatum fuerit. Retulit hoc exem-  
plum primus ex Doctoribus Nicolaus Everhardus  
a Middelburg *in loc. argum. legal. loc. 20. a correlativis  
num. 11.* illudque memoriae commendandum esse  
dixit. Ex Everardo repetit Daniel Möllerus *in  
Comm. ad Constat. Saxon. Elect. Aug. p. 1. c. 27. num. 8.*  
& deinde Bitschius *loc. cit. notab. 6.* Inter Ferdinandum  
Regem Romanorum & Ulricum Wurtembergicum  
Ducem olim inter alia hæc agitata fuit quæ-  
stio: annon Ferdinandus proprietate feudi privari  
deberet, quoniam contra Ducem vasallum accusa-  
tionem capitalem instituerat, eam vero probare non  
potuerat, Bitschius *d. notab. 6.* Knichen *de restit. pa-  
etition. cap. 5. num. 260. seqq.* Carolus V. Imperator apud  
Sleidanum *l. 6. comment. ad A. 1526. ajebat: Regnum  
Nea-*

Neapolitanum in ipsius (pontificis) quidem esse potestate: verum si bellum iis locis fecisset, hoc eo pertinere, ut jus ejus omne amitteret. Etenim quibus de causis beneficium collatum cliens, iisdem plane de causis patronus etiam dominium amittit v. Dn. Hertius parœm. l. 2. parœm. 24. num. 3. Porro, ultima Comes Meursiae ditionem suam, quæ beneficiario nexu Duci Cliven- si devincta erat, Mauritio Arausionensi Principi donavit, quoniam ille Dux multis facinoribus patroni jura violasse arguebatur, H. Grotius l. 10. Hist. Belg. ad A. 1601. Dn. Hertius loc. cit. Alia quoque & quidem recentiora sui temporis exempla non deesse testatur Möller add. Conf. Elect. 27, p. 1. num. 8.

## §. XXIX.

Sed nec desunt varia, quæ circa adducta exempla *Que exami-  
natur. Ex-  
emplum de  
Comitatu  
Flandrie &  
Artesia.*  
etiam moneri possunt. Quod primo exemplum de dominio directo Comitatus Flandriæ & Artesia attinget, quo Rex Franciæ Franciscus propter feloniam in Carolum V. vasallum commissam privatus esse dicitur, neque Everhardus, neque Möllerus, neque Bitschius judicium illud in specie nominant, coram quo controversia ventilata & sententia caducitatis publicata fuerit, unde maxime dubium est, an Franciscus illud judicium pro competente agnoverit, ejusque decisioni causam illam subjecerit, de quo tamen ante omnia constare debebat, si enim Carolus V. via facti contra Franciscum processit, id est, si jure belli usus est, exemplum ad statum controversiæ non quadrat, cum jam supra §. XXV. monuerimus, nobis non esse sermonem de privatione dominii directi, quæ per arma perficitur, sed de tali, quæ per

E modum

modum pœnæ fit. Omnis vero pœna a superiore, jurisdictionem exercente infligitur, Carolus V. autem in Franciscum sine dubio nullam jurisdictionem exercuit, ergo etiam solus Carolus judicium aliquod constituere non potuit, quod facta Francisci ad trutinam revocaret, eademque debito modo coeretur. Itaque Carolum V. mero jure belli usum fuisse, nemini dubium videri poterit, perpetua enim fere inter illum & Franciscum fuere bella. Et quid tandem multis verbis opus est? Franciscus in pace dum Cameracensi A. 1529, supremo dominio Comitatus Flandriæ & Artesiæ renunciavit, unde illud per modum pœnæ, aut per rem aliquam judicatam ipsi neutiquam ablatum, v. Pufendorff. *Introduct.*  
*cap. 5. §. 17.*

## §. XXIX.

*Secundum exemplum de Rege Romanorum Ferdinando & Ulrico Duce Würtenbergico brevis facti species præmittenda erit. Dictus Dux Ulricus A. 1519. a foederis Suevici sociis, quod Reutlingam civitatem Imperialem immediatam vi occupasset, tota sua provincia expulsis, eademque postea Carolo V. Cæsari Augustæ A. 1520. d. 6. Febr. a dictis foederatis, ut sumtus bello impensi inde refunderentur, vendita fuit. Divisione hereditaria inter Carolum & Ferdinandum fratrem instituta, Ducatus Würtenbergicus Ferdinandō obvenit, quem Carolus quoque de eo investivit. Ulricus A. 1525. ope & auxilio Landgravii Hassiæ Philippi in possessionem Ducatus Würtenbergici restitutus, A. 1534. Cadæ transigit & possessio dicti Ducatus titulo tamen*

9546.

tamen subfeudi a Domo Austriaca ipsi relicta fuit, v.  
Limnæus de Jur. publ. L. 5. c. 16. num 3. & 4. Knichen.  
de vestit. paet. num. 260. seqq. Verum in dicta trans-  
actione Ferdinandi Regi omne jus, quod ad Ducatum  
Wurtenbergicum haberet, reservatum erat. Agebat  
ergo Ferdinandus contra Ulricum Ducem & prout  
Alciatus l. 3. Conf. 36. ab init. refert, petebat primo,  
ut declaretur per Casaream Majestatem caput & bona  
Ulrici Ducis propter crimen lesa majestatis ad ipsum Cesarem  
applicari: secundo, feudalia & subfeudalia ad ipsum  
Regem tanquam immediatum dominum pertinere debere,  
atque jam esse reversa. Rex Ferdinandus capita ac-  
cusationis probare non poterat, ergo Ulricus Dux  
putabat, Regem propter institutam falsam accusatio-  
nem jure dominii directi excidisse. Consulebantur  
JCti. Respondit vero Alciatus d. conf. 36. num. 32. & 33.  
sequentem in modum: Circa ultimum, an si Rex pro-  
bare non possit crimina deducta in libello, cadat a jure  
directi dominii, sicut vasallus caderet, qui falsa crimina  
impingeret dominos? Respondeo, nunquam caducitati est  
locus, nisi ex culpa, vel dolo: non est autem credendum,  
Regiam Majestatem aliter, quam ex justa credulitate ad  
talem accusationem devenisse, & ideo non est locus cadu-  
citat. Eodem modo respondit Berous vol. I. conf. 76.  
num. 142. referente Knichenio & Bitschio II. alleg.  
Ergo illud exemplum pro nobis est, non contra nos.  
Vides simul, etiamsi concedamus, dominum felo-  
niam committere posse, quam facilis tamen in appli-  
catione pro domino sit excusatio, quod dolose aut cul-  
pose non egerit, quia causa etiam fatua fatentibus le-  
gum interpretibus a dolo excusat, & magis quoque

E 2

a culpa.

a culpa. Verum nos fatuis causis non indigemus, qui existentiam feloniae plane negamus.

## §. XXX.

*Terium ex-  
emplum de  
Carolo V.  
intuitu re-  
gni Neapoliti-  
tanis.*

Sequitur tertium exemplum, ubi Carolus V., contra Papam tanquam dominum directum regni Neapolitani hoc ratiocinio utebatur, quod quibus de causis beneficium collatum cliens, iisdem plane de causis patronus etiam dominium amittat. Hic primo valde dubium est, an Carolus V. illa ratiocinatione ipse usus fuerit, vel annon potius Sleidanus ipse eam effinxerit, uti saepius fecit etiam intuitu orationum, quas Electores aliosque habuisse tradit. Deinde observari debet, Imperatores adversus Papam saepe usos esse rationibus parum aptis, uti v. g. ex illo principio, quod Imperator sit mundi dominus, factis constat. Quodsi vero ab omnibus hisce responsionibus abstrahere velis, quæstio tamen iterum ocurrat, an, si Papa in regno Neapolitano bellum fecisset, & Imperator propterea dominio directo illius regni ipsum exuisset, an, inquam, hoc per modum processus judicialis, utrum vero jure belli fieri potuisset? Neutquam sane per modum institutæ actionis & subsecutæ sententiae, cum Papa Carolum, vasallum suum, in hac certa causa tanquam judicem competentem non agnovisset. Ergo etiam privatio dominii directi non fuisset poena. Quid ergo? Ad jus belli recurrentum. Verum, uti saepius monitum, ea quæ jure belli fiunt, ad statum controversiarum præsentem non spectant.

## §. XXXI. Quar-

## §. XXXI.

Quartum exemplum in §. XXVII. adductum, Quartum  
 Comitarum Meursiæ concernit. Ad quod respon- exemplum  
 demus duplice: 1) Falsum esse, quod Dux Clivæ de Comitatu  
 fidem violaverit, 2) Actionem Comitis Meursiæ ad- Meursiæ.  
 versus Ducem Clivensem a Camera fuisse rejectam.  
 Illustrabunt responsones datas duo loca insignia huc  
 pertinentia ex disquisitione de juribus Regiæ Majest.  
 Boruss. in Comitatus Meursensem & Lingensem,  
 Primus ex Cap. I. pag. 4. seq. Constat quoque  
 extinctis Comitibus de Meurs, relicta unica fæ-  
 mina Walburgi, que Adolfo, Comiti de Nien-  
 wenaer nupta fuit, item inter eam & dominum feudi,  
 Wilhelnum Ducem Clivæ, de hoc feudo ortam fuisse,  
 Domino, masculis extinctis, sibi apertum feudum con-  
 tendente, Walburgi autem sibi id delatum afferente &c.  
 Verum de lice bac transactum anno 1584. fidesque data  
 bey Fürstl. und Gräfsl. wahren Worten und Ehren  
 an Eydes statt / Walburgi sine liberis ex eo matrimonio  
 natis mortua, Comitatum ad Ducem Clivæ, Wilhelnum,  
 pleno jure reversurum, subditosque interim homagium  
 domino in eventum prestituros esse &c. Deinde vero  
 Adolfus Comes, bello inter Hispanos & fæderatos Belgij  
 ordines fervente, horum partes amplexus, in horum ca-  
 stris sub Principe Mauricio contra Hispanos militavit,  
 coque facto eos sibi hostes concivit: qui nec moram fecere,  
 quin in Comitatum hostiliter irrumperent; quem & armis  
 sub Duce Parmensi anno 1586. totum occuparunt ac va-  
 starunt & Domino quoque plurimam damnam dederunt &c.  
 Hic vero quis satis mirari possit frontem hujus Comitis,  
 qui cum tot injuriis & feloniarum generibus lacepsisset

E 3

domi

dominum, suog, facto causam dedisset hostili Hispanorum invasioni qui alioquin Principum ac Comitum Imperii hostes non erant, ausus est querelam felonie adversus dominum in Camera Imperii movere, quod Comitatus ipsius Hispanorum armis occupatus, nec a domino ipse defensus fuisset, eoque nomine citari fecit dominum ad Cameram, ad videndum privari se dominio directo. Verum quemadmodum per summum juris judicique ludibrium id factum fuit, ita & a Camera merito reiectus est, nihilque obtinuit; sed eo deinde mortuo, vidua Walpurgis anno 1590, renovationem investiture a domino petuit, feudumque ab eodem denuo recognovit. Secundus ex eodem cap. num. 29. & 31. pag. 12, seq. Ex parte Mauritiū oppositum fuit &c. 2) Duxem Clivie excidisse dominio suo, quod non protexisset vasallum contra invasiones Hispanorum &c. Compendio responderetur &c. Ad alterum: (1) Jam dictum est, Comitem bello partes ordinum sacerdoti Belgii secutum, & suo adeo hoc facto causam invasionibus Hispanorum dedisse, cum enim illis cum Imperio & Imperii Principibus nullum bellum esset, sed e contrario omni ope id ageret utraque belligerantium pars, ut cum Imperii Statibus jura mediorum religiose custodirent, & mes hoc facto suo Hispanos sibi & domino hostes fecit. Quin, ut ex relationibus auctorum apparat, Dux Wilhelmus debortatus est Comitem ab illo consilio, obtulitque se oppido Meurs & arci Krakau presidium militum impositurum, ipse vero Comes bis omnibus spretis militarit statibus Belgii, eoque effecit, ut non Comitatus tantum ipsius vi occupatus, sed & terra ducis ac domini directi hic igne ferroque direpta vassataque fuerint: adeo ipse & sibi & domino mali causa fuit. Hinc (2) sequi, ex hoc facto non

non vasallum contra dominum, sed hunc contra vasallum ad privationem feudi & felonie nomine agere posse, qui hoc factio suo hostem domino concivit ac plurima damnauit. Ridiculum vero est (3) adigere dominum & quidem Ducem Clivie, ut adversus potentissimum tum totius orbis regem arma indueret, vasalli tuendi causa. Felonia sine dolo vel culpa non committitur 1. F. 21. pr. nec tenetur dominus defendere vasallum cum pernicie sua, nec, si non potest, 2. F. 7. verb. pro posse meo. Quin (4) nec suas nedum vasalli terras dominus avastare tueri potuit, ut dictum; Denique (5) Comes queri de ea re in Camera non dubitavit; cum igitur nihil ibi obtinuerit, frustra id nunc allegatur.

## §. XXXII.

Quicquid vero, inquis, de illis exemplis sit, De testimoniis tamen testimonium Danielis Mölleri ad Confess. Dan. Elect. 27. p. 1. num. 8. qui recentiora sui temporis exempla adesse adserit, huic sine dubio, cum de suo tempore testetur, plena fides adhibenda erit. Ego vero autoritatem tanti JCti quidem veneror, simul tamen doleo, quod Möllerus ne unicum quidem ex recentioribus illis exemplis in medium protulerit. Jam ubi hoc factum non est, nos quoque exempla ad incudem revocare non possumus, sed potius salva Mollerii autoritate, de iisdem adhuc dubitamus, donec proferantur.

## §. XXXIII.

Firma igitur, ut credimus, adhuc stat sententia nostra, non dari feloniam Domini, nec dominium vasallorum directum vasallo adjudicari. Et quod in specie alienationem dominii directi attinet, supra quoque nonnulla sub-

## §. IX.

§. IIX. jam monuimus, quod exinde felonia aliqua non proveniat, ex rationibus evidentibus ibidem adductis. Manent ea adhuc inconclusa, neque mutamus sententiam nostram ibi propositam. Hoc tamen addimus, quod interdum propter jura specialia leges fundamentales & pacta celebrata dominus potestatem alienandi habere non possit, ita tamen ut si nihilominus alienet, feloniam non committat, sed alienatio pro non facta habeatur, vel ut vasallis a potestate novi domini, cui alienans eos subjicere voluit facultas sese eximendi competit. Ita cum Anno 1660. Johannes Georgius II. Elector Saxonie Nobilitatem Schriftsäfficam in Præfecturis Weissenfelsensi & Friburgensi ignorantem & invitam, cesserat fratri Serenissimo, Administratori tunc temporis Archi Episcopatus Magdeburgici, Duci Augusto, vasalli huic nonsolum investituræ receptionem denegarunt, verum & reliqui Status provinciales in proxime subsecutis Comitiis provincialibus Ao. 1661. per literas ea de re graviter con questi fuerunt, & cassationem cessionis urserunt, quo factum, ut Dux Johannes Adolphus A. 1681. huic cessioni per omnia renunciaverit. Integrum instrumentum ea de re confectum adducit Schilserus in Cod. Jur. feud. Alemann. in Comm. ad c. 89. §. 5. Ita in regno Hispaniae frequentissime observari dicunt, ut vasalli, qui inviti & contradicentes alienati sunt, & nec expresse nec tacite consenserunt, pretio emitoribus vere & realiter oblato ad se rediendum admittantur, Castillo controv. tom. 7. c. 17. n. 21. Husanus in disp. de alienat. vasall. §. 10.

Appo-

961.

Apposite Huberus *de jure Civit. l.2. sedl. s. c.4. §.11.* **Tamen**, inquit, etsi dominus æque jus suum , quam vasallus alienare prohibetur , nusquam tamen ob hanc alienationem jure suo cadere dicitur , nec id æque , ac in vasallo ratio permittit , quia de jure suo disponet, contra legem quidem , sed tamen nulli obnoxio , nec ab alterius beneficio manante ; ideoque magis est , ut domini alienatio simpliciter sit nullius momenti , nec vasallus alium dominum agnoscere cogatur.

## §. XXXIV.

Textus juris Longobardici h̄ic iterum sunt *Textus ex dubii , neque assertioni nostræ de felonie à domino non committenda directo contrariantur. Ab initio*

*1. F. 22. I. §. si quis penult. dicitur , quod si quis fecerit investituram , vel cambium , de beneficio sui militis sine illius consensu , cuius est beneficium , id pro non facto haberi debear , de felonie nihil additur.* *Textus 2 F. 9. §. 1. in f. nos ad legem Imperatoris Conradi , quæ 2. F. 34. §. 1. habetur , remittit. Ibi quidem ab initio dicitur , quod dominus sine vasalli voluntate feudum alienare non poslit , mox tamen additur , illud Mediolani non obtinere , sed ibi etiam sine curia beneficium totum recte alienari , dum tamen aut æqualia , aut majori domino vendaruntur. Alias vero cum curia cuicunque beneficium , etiam rusticō & sine vasalli voluntate alienari posse subjungitur , dum tamen non totum alienetur , de felonie iterum altum est silentium : Et quid si etiam ius Longobardicum aperte contrarium statueret ? Recurreret responsio superius §. XV. data , quod*

F illud

illud jus hac parte non fuerit receptum, de quo multa habet Knichen *de vestit. paci. p. 2. c. 5. n. 163. seqq. & n. 180.* quem vide.

## §. XXXV.

*Relinquitur  
hec materia de alienat. vasall. & thes. II. similiiter concludit,  
peculiari dis-  
quisitioni,*

Tetigit etiam hanc materiam Husanus *in disp.*  
*de alienat. vasall. & thes. II.* similiiter concludit, sententiam eam præferendam esse, quod dominus vasallos inscios & invitatos alienans, feloniam non committat, sed contractus solum nullitate laboret; Verum cum hoc caput de alienatione vasallorum peculiarem disquisitionem mereri videatur; hinc filium abrumpimus, illud saltem notantes, quod jure veteri Germanico non licuerit domino transferre dominium directum in inferiorem clypeum. Ita enim Autor *vetus de beneficiis §. 58. p. 117.* Non licitum est, ut superior dominus in inferiorem clypeum dominem cum suis faciat declinare beneficiis.

Adde jus feudale Saxonicum

*cap. 25.*


F I N I S.




**ULB Halle**  
005 396 611

3







D. D. B. U.  
TIO  
938. 29 a

DISSERTATIO JURIDICA  
De  
**FELONIA  
DOMINI,**  
QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENB., & DUCATUS MAGDEB. GUBERNAT.  
&c. &c.  
PRÆSIDE  
**Dn. CHRISTIANO THOMASIO,**  
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS BORUSSIÆ CONSILIARIO  
INTIMO, UNIVERSITATIS FRIDERICIANÆ DIRECTORE,  
AC PROFESSORE PRIMARIO, ET FACULTATIS JURIDICÆ  
ORDINARIO,  
IN ALMA FRIDERICIANA  
IN AUDITORIO MAIORE d. 22. Octobr. MDCCX.  
placidæ Eruditorum disquisitioni exhibit  
AUTOR  
**ANTONIUS ULRICUS VÖLCKER,**  
EQVES BRUNSVICENSES.  
HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITTERIS SALFELDIANIS.